

Programme

von

M. Ernst Immanuel Campe.

1779 - 1790.

---

AB

155635

0002

Verwandlung

3

AΥΤΟΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑΣ VINDICIAE.

---

SPECIMEN PRIMVM.

QVO EDITO

AD

# ORATIONES

QVASDAM

IN LYCEO LVBHENENSI

AUDIENDAS

A. D. XX. APRILIS MDCCLXXXIV. HOR. X.

OMNES

## BONARVM LITERARVM FAVTORES

HUMANISSIME INVITAT

CAROLVS TRAVGOTT THIEME

AA. M. LYCEI LVBHENENSIS ADHVC RECTOR

NVNC GYMNASII MERSEBURGENSIS RECTOR

DESIGNATVS.

---

LVBHENÆ, EX OFFICINA DRIEMELIA.

ОЯНОИГ

ЛІЧЕНІЯ

СРЕДІ СТОРОННИХ АУДІЮВІ

СОВІАТСЬКІ СІДІВІ

СІДІВІ СІДІВІ

## PRO O E M I V M.

**Q**uamlibet inusitatum sit prefari hujus generis scriptis, quippe in prolusionem proludere videaris; tamen cum totius opusculi ordo et partitio requirat, ut caput rei in tertiam ejus partem rejiciatur, unum, quod premoneam, habeo, ne iudicia hominum rei cognitionem praeueniant. Scribens nimis rurum αὐτοδιδασκαλίας vindicias videor non minus rationibus scholarum et magistrorum, quam communī omnium doctorum sententie repugnare velle: sed videor tantum. Neque enim ita sum rerum nouarum cupidus, ut magistris dimissis uniuersam lin- guarum et ariuum disciplinam naturæ et ingenio

= = =

sironum relinqui velim; neque ita cœus, quin p̄œ-  
videam, si ejusmodi legem rogarem, eam ab omni-  
bus omnino centuriis, ne dicam antiquatam, sed ex-  
plosum iri. Id tamen teneo, esse aliquod autodi-  
dasculias genus, quod, conjunctum cum moderatione  
prudentis viri, juvenile etiam literarum studium vi-  
deatur magnopere promouere. Quod, quale sit, in  
tertia hujus libelli partē, expositurus, peto a te,  
Lector æque et rerum perite, primum, ne mihi  
imputes, que Ewaldus et Otfridus dixerint, deinde,  
ut judicium tuum suspendas, donec omne consilium  
meum cognoueris. Tum vero, si errauero, liberalē  
et humanam correctionem libenter me admissurum,  
spondeo.

---

ATTQ<sup>o</sup>



ΑΤΤΟΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑΣ VINDICIAE.

 Cum superiori æstate, per dies caniculares,  
ut nonnullis aliis hominum generibus,  
qui per reliquum annum a mane ad  
vesperam usque artem sedendi exerceant, ita magistris  
scholasticis, assiduis videlicet illis, unam alteramue ho-  
ram exspatiari, corptusque vaporibus cubicolorum pi-  
gris circumfusum aëri libero permittere liceret; Theo-  
philus et Ewaldus, uterque scholæ magister, diuersis  
modo discipulorum classibus præpositi, conuenere, v-

A 3

trum

trum forte, an de composito, non satis compertum est, in hortulo quodam, non quidem publico, plebi ludibundæ patente, sed priuato, quo vt possessoris liberalitas illis permiserat. Salutationibus inuicem ja-  
ctis statim conspectus sol occidens, facie globi sanguinei induitus, monuit eos, vt velut philosophi de cau-  
sa hujus phænomeni pauca dissererent, de nebula, in-  
quam, quæ isto tempore vniuersam Europam obnubi-  
labat. Alter eorum, paullo morosior, rem sibi mole-  
stam, plebi imperitæ formidolosam et physicorum vul-  
gus σκανδαλίζοσσαν vocitare ausus, a collega amice re-  
prehensus est, quod quereretur de ista nebula, quam  
ipse, nisi beneficium naturæ, tamen haud ita molestum  
terre halitum putaret. Cum enim, inquit, hujus vr-  
bis vicinia, nescio vrum soli vitio, an hominum infa-  
na vrendi cupiditate, fere omni arbusto et vmbraculo  
careat: nonne jucundum nobis sit atque acceptum,  
quicquid ardorem solis depellat ac leniat? — Et  
sane hæ plantæ prorsus languescerent, præfertim plu-  
via per quatuor hebdomades deficiente: ne dicam de  
radiorum solarium flagrantissimis iictibus, qui tergis ca-  
pitibusque nostris impingerent; nisi ista nebula vim  
solis temperaret atque radios in tellurem missos quo-  
dammo-

dammodo interrumperet. Quam utilitatem nebulæ,  
 etiamsi non agnoscas, tamen haud ita molestam eam  
 nobis esse existimauerim, quippe qui in auditoriis no-  
 stris vaporibus spissis, corruptis, adeoque multo pesti-  
 lentioribus, quam, quos terra exhalat, sumus adsueti.  
 Quæ argumenta, num alterum illum ad mutandam sen-  
 tentiam commouerint, nescio: id modo audiui, silen-  
 tium inter eos extitisse aliquot momentorum, quibus  
 clapsis Ewaldus fronte contracta, quasi respuerent au-  
 res hoc sermonum genus, cucurrit ad casam in horti  
 angulo ædificatam, ac fistulam ibi reconditam peto im-  
 pleuit fumantemque ori admouit, quo fumi haustu  
 non modo vaporess pestiferos arceri, sed etiam medi-  
 tationes maturari et ali mirifice, dicunt.

Quemadmodum vero vix fieri potest, vt duæ  
 matronæ sint vna, quin de ancillis, vel duæ virgines,  
 quin de mundis et deliciis, vel duo pastores, quin de  
 ouibus et bubus colloquuntur, ita nemo mirabitur, ser-  
 monem magistrorum ambulantium mox incidisse in rem  
 scholasticam, nec quisquam calumniabitur idem, debet  
 enim esse cuique de rebus, quas quotidie tractat, col-  
 loquium et jucundissimum et utilissimum. Cum igi-  
 tur




tur Ewaldus, vir, qui vigili sagacitate occulta puerorum facinora perquirere solebat, quæ haud ita pridem cognouisset, de clandestinis primanorum conuiuis, Theophilo narrasset, progressi sunt ad generaliora. Repetebantur deinde querelæ istæ decantatæ de vernalibus peregrinisque scholarum vitiis, de parcis magistrorum salariis, de turpitudine processionum istarum, quæ a Sto. Gregorio nomen habent et stipis colligendæ gratia a magistris scholarum instituuntur, de multitudine fabularum Romanensium, quas audius legi imo deuorari a pueris quam epistolas Ciceronis multum querebatur Ewaldus, de immodico discipulorum ludendi et peregrinandi studio, de præmaturo eorundem scholaris discessu, de multis aliis morbis, quibus res scholastica in plurimis Germaniæ provinciis adhuc laborat. Et jam in eo erat Theophilus, ad res nouas excogitandas proponendasque promptissimum ingenium, vt de medicina illis scholarum vitiis adhibenda consilia sua aperiret; cum superueniret Otfridus, vir antiquæ dexteritatis, literarum solidæque doctrinæ non amans modo, sed studiosus etiam, nonnullas tamen disciplinæ nostræ partes et consuetudines quasdam templi, fori, auditorii, scholaræ inueteratas, quæ pro legibus

bis custodiuntur, adeo improbans, vt in nulla re magis sibi placeret, quam in ea, qua vtebatur, licentia perstringendi acriter pedantismum, qui tristem et impexam antiquitatem sapit, in scholis quibusdam et academiis adhuc dominantem; ceterum Theophilo et Ewaldō ex multo tempore ita familiaris, vt simpliciter et ingenue judicium animi sui detegere coram iis non dubitaret. Hic statim a limine horti porrigere manum amicis, salutare eos comiter, gratulari conuentum fortuitum et opportunum, exhortari ad persequendum colloquium, contestarique, se ne verbulum quidem, a viris tam doctis prolatum, elabi sibi paſlurum. Ad quam officiosam hominis orationem, cum modeste respondissent magistri, rogauerunt, vt e suo mallet faciarum apparatu aliquid promere, quum scirent, memoriam viri narratiunculis innumeris et lepidarum fabularum magna copia, non ex culina seu taberna, seu puerperæ cubiculo, sed dignioribus, quæ materiam ridendi viris tam grauibus præberent, ex aulis, foris, musis, academiis, scholis, familiariumque penetralibus, esse refertam.

Iste vero, vel alioquin et fronte et mente semper hilaris, jam insignem præ se ferens vultu lætitiam,

B

habeo,



habeo, inquit, quod vobiscum communicem gaudium : hæret enim mihi in mente fama Sigmundi consobrini mei nuper ex academia reducis, aucta etiam spesimine, quod Senatui supremo hujus prouinciae exhibuit, in quo, lectionis non minus quam sanæ et excultæ rationis ostendisse eum, omnes consentiunt. Quamquam, me non esse eum, scitis, cui propinquitas pro virtute valeat ; tamen celare vos nolo, blandam mihi esse juuenis laudem, meam potissimum auctoritatem, mea consilia in studiis literarum tractandis secuti. Ante sex abhinc annos pauci admodum erant, qui persuadere sibi parentur, hunc ὥψην, quem tum temporis contemtim discipuli vestri præterire solebant, tam feliciter in literis esse progressurum, vt in omni parte humanitatis, vel citius quam æquales, perfectus videatur : enim uero euentus, velut æquissimus judex, docuit, rationem, quam cum isto inierim, non fuisse nimis ineptam. Atque ego, cum ex ipfa re magnam capio voluptatem, tum meam sententiam de αὐτοδιδασκαλίᾳ commodis, omni cauillatione superata, hoc viuo exemplo confirmari triumpho, certe in sinu gaudeo. Hunc nimirum videtis Sigmundum omni honestate, cuius procreatrices dicuntur scholæ, præditum et ornatum, vitio-

vitiorum, quæ istæ gignunt, expertem. Εὐδαιμονίας τοις enim historicorum lectione, opportunas memoriarum diuitias, poetarum, ingenii alacritatem, philosophorum, judicij acumen, oratorum, copiam et facilitatem dicendi sibi paravit. Est itaque tanta hominis in ore verecundia, in percipiendo celeritas, in scribendo elegancia, in judiciis modestia, in moribus sanctitas, in dictis grauitas quædam et innocentia, ut natura eum ad omnem laudis nobilitatem idoneum produxisse videatur.

Amplior sine dubio et vberior in laudibus consobrini sui fuisset Otfridus, nisi Ewaldus, cui mox billem hic sermo mouerat, intento ore hunc panegyricum interpellasset. Hem, inquit, paullo commotior, vix enim iram continebat: — hem virum amore nepotuli, gremio ipsius focillati, cæcutientem! Adeo mihi videris, Otfride, studio consobrini tui teneri, ut ad insaniam ejus ingeniolo faueas. Miror sane, te alioquin satis prudentem, in ea re ita tui obliuisci, ut ab hoc nasutulo insectiam pro modestia, garrulitatem pro eloquentia, stultam affectationem pro gravitate, flosculos vndique carptos et delibatos pro ingenii fœtibus tibi vendi patiaris. Nisi forte cœlitus ei insulam esse



esse sapientiam aut innatam jaētes, prorsus, vnde habeat, ignoro. Semper fuit homo singularis, cellularius, morosus, vaniloquus, non tam versatus quam vagatus in literis, vt omnia uno complectar verbo, *autodidantes.* Quid sentiam de hoc genere hominum, quæsieris forte ex me? — Hoc sane erat classicum canere Otfrido: exoptata enim hæc ei veniebat occasio edifferendi, quicquid ex multo tempore, super hac re cogitatum atque congestum, tamquam in sinu secum ferebat. Subridens igitur Ewaldi stomachosam dicacitatem serio et fortiter, amice tamen, hanc disputationem persequi statim animum inducit vir ab illiberali arrogantia atque admiratione sui adeo alienus, vt ejusmodi conuersationibus doctis atque politis ychementer delectaretur, nec tamen ferociter pugnaret, nec meliora doceri, præferunt a rerum peritis, vñquam recusaret. Itane, inquit, te, Ewalde amor veteris formæ cepit, vt plus in cathedra, subselliis, tabellis, pallio reliquaque armatura scholastica esse putas, quam in hominis ingenio et diligentia? — Absit a me, vt scholas publicas, institutionem quam dicunt, acroamaticam, atque operam magistrorum contemnam, qui potius habere velim, quæ ad institutorum tam utilium incrementa, viorū,

que

que tam sedulo de humanitate merentium præmia conferam, libenter subscribens verbis Ciceronis: a) *Quod munus reipublice majus afferre meliusue possumus, quam si docemus, erudimusue juuentutem?* Tamen illud tenebo, nullum vñquam institutum humanum ita esse perfectum atque omnibus numeris absolutum, vt correctionem admittat prorsus nullam, seu, vt citra vnam viam, a majoribus strata munitam, nulla alia ad eruditionem mortalibus pateat. Id enim mihi quidem videtur in maximis et perniciofissimis impedimentis esse, quo minus scientiæ humanæ fines producantur, adeoque felicitas generis humani augeatur, si, quæ ab antiquis dicta accepimus, ea tam sancte et firmiter credimus, vt ab iis dissentire religio habeatur, quasi maiores nostri falli aut errare non potuissent, vel quasi eorum oracula et scita diuinam habuissent auctoritatem, quæ omni inuestigationi et meditationi posterorum limites ponere deberet: si porro, quæ ab antiquis descripta et ædificata ad nos peruenierunt, ea tam firma, stabilia et quasi ferrea esse putamus, ac tam religiose

cu-

a) de Diuin, L. II, c. 2.

B 3



custodimus, ut mutare vel lineolam, vel lapillum de loco suo mouere nefas habeatur. Certe hæc antiquæ sapientiæ seuera adoratio nec nostris judiciis gloriam, nec ætati et progeniei nostræ felicitatem parare videtur. Majores nostri in scholis publicis et priuatis voluerunt magistros, quicquid juueni discendum foret, colligere, in ordinem redigere, viua voce proponere; quæ ipsis dicenda forent, præmeditari, quæ discipulo legenda, prælegere, explicare, illustrare, amplificare, ad usum accommodare, denique totius disciplinæ fontes exhaustire atque ita in discipuli vel memoriam vel ingenium infundere, ut hic aperto ore, plenis haustibus, imbibere istam doctrinæ auream pluuiam possit: discipulum vero certis definitisque horis magistro apparere, a latere seu ad pedes ejus sedentem auscultare, dicta vel auribus vel calamo excipere, quæ legenda magister præceperit, legere, ad ea, quæ quæsierit, respondere, quæ scribenda dictauerit, scribere, quæ ediscenda censuerit, memoriæ mandare atque sic ab ore et nutu præceptoris pendere, ordine ab eo præscripto studia omnia literarum persequi atque omne opsonium in hac artium popina præparatum et appositum cupide deglutire. Hæc methodus in plerisque scholis et ex parte etiam

etiam academiis nostris obtinet: hac via juuentus nostra literarum studiosa ad sapientiae initia ducitur: et quisquis corpori eruditorum se adscribi cupierit,

*bic vadat oportet,  
Qua facit assiduo tramite vulgus iter.*

Nec tamen custodes hujus triti et communis itineris potuerunt impedire, quo minus singuli homines, siue quod ad didactra soluenda res familiaris non sufficeret, siue, quod ejus essent ætatis, vt cum puerulis ad scholam currere iplos puderet, siue quod ita suarum essent opinionum tenaces, vt vestigia magistri premere nollent; quo minus, inquam, hi singuli, tuam fecuti viam, citra docentem discerent, citra dueem procederent, procul a cathedra professoris artium disciplinæ vacarent et, lucrati moram curriculi scholastici, propria obseruatione, meditatione, lectione eam sibi rerum notitiam et intelligentiam pararent, quam sibi ad bene beateque viendum necessariam essent rati. At sane contra hunc spontaneum discendi modum omnia gymnasia clamant et omnes hominum latinorum scholæ, Omnes præterea, qui cum ecclesia credunt

et

■ ■ ■

et cum multitudine sentiunt, eum tanquam incertum, non satis idoneum, lentum, erraticum reprehendunt, ut nomen *autodidactus*, in republica literaria, pæne pro opprobrio habeatur. Evidem, quum adolescenti mihi in studiis literarum versari licebat, multa de hac *autodidactarum* hæresi et audiui et legi: quæ, cum ipse per ætatis imperitiam, perpendere non possem, quid mirum, me ita sollicite hanc Scyllam evitasse, vt digitum de manu mihi recidi, quam isto horrendo *autodidactarum* flagitio me contaminari, maluissem. Interjectis tamen annis, cum hic illic ejusmodi *autodidactus* reprehenderem, eosque viderem, non modo æque ac me ipsum forma esse humana, sed etiam in literis ita felicitur versatos et ita longe progressos, vt totas *et regdidactarum* centurias post se reliquisse viderentur, id quod eo est credibilius, quod hos homines non jussa patrum, sed docilis sciendi cupiditas ad suscipiendum descendit laborem impulerat; tum demum auctoritatem eorum, qui tam inique de *autodidactarum* studio judicassent, in dubium vocare audebam; adeoque parum aberat, quin præceptores meos vel inuidia vel auaritia motos hanc *autodidactarum* contempsisse existimarem: inuidia, quod intelligere viderentur, ipsorum operam ad discendas artes

artes ita esse necessariam, vt vel supersedentes ea æque  
docti euaderent, ac diligentissimi ipsorum auditorcs:  
auaritia, quod vererentur, ne, opinione de *avocatibus*  
*auariciis* commodis inualecente, ipsorum redditus ex di-  
scipulorum didactro vehementer minuerentur. Ne ta-  
men inique cum iis, qui aliter sentiunt, agere videar,  
peto a te, Ewald, vt, qui semel contradicendi partes  
arripiuisti, istius sententiae et istorum hominum patroci-  
nium in te sumas, et, quibus potissimum nominibus  
*avocatibus* reprehendendos putes, me, vti soles, recte  
et perspicue doceas: ita enim eueniet, vt vel tu me  
errore, quo hue vsque implicitus fui, liberes, vel ego  
te ad minus inique de *avocatibus* studiis sentiendum  
commoueam.

Tum Ewaldus ægre se has partes fulciperse si-  
mulans, re vera contentionis cupidissimus. At, in-  
quit, vereor, Ofride, ne in cassum disputem; impra-  
bissimus enim et ingratissimus est labor eorum, qui  
præsumtas opiniones, præterim inueteratas animoque  
infixas, euellere et eradicare conantur. Tu quidem o-  
deo methodi veteris scholasticæ et amore *avocatibus*  
*auariciis* adeo videris esse captus, vt, si vel omnes in orbe

C

terra-

■ ■ ■

terrarum eruditi de ejus futilitate consentirent, tu ta-  
men solus dissentire, quam idolo tuo nuncium mitte-  
re, malles.

Noli me, ait Otfridus, putare ita pertinacem  
atque obstinatum opinionis meæ defensorem, qui po-  
tius contestor, me non studio concertandi, orationem  
tuam desiderare, sed ut cognoscam tandem, quid in  
ea re verum certumque sit; quod si tu me docueris,  
lubenter, me didicisse a te, fatebor; id quod fore,  
ut mihi accidat, eo certius sperare debes, cum tantum  
absim a plena et perfecta rerum scholasticarum intelli-  
gentia, ut artium vestiarum sacra quasi per transennam  
modo præteriens, strictim adspexerim.

Quæ cum Otfridus dixisset, Cum videam, in-  
quit Ewaldus, hanc semel rem inter nos in controuer-  
siam esse adductam, faciam, quod petis, Otfride, bre-  
viter; hic enim cum Symmacho dicere licet: b)  
*Pro cognitis et probatis pauca dicenda sunt:* triplici ta-  
men lege: primum, ut σφαλμάτων, quæ in subita et  
for-

b) Epist. VII, 102.

fortuita oratione rebus magis quam verbis intento facilius excedunt, veniam a vobis impetrem: deinde, ut, si qua posthac, Offride, contra dicenda habueris, oratio tua non sit inuectiva, nec acrior, nec stomachosa, sed ut rationibus meis rationes, auctoritatibus, auctoritates opponas: denique ut, cum vterque nostrum, quæ sibi e re fuerint visa, protulerit, arbitrium huic Theophilo nostro deferamus, eam ob causam æquissimo, credo, judici, quod vtriusque nostrum amicum, rerum peritum, et a partium studio alienum esse puto. Evidem, ut tibi contra quem pugnes, statim a fronte ostendam, contra morem *σεατηγῶν*, qui leuem armaturam in prima acie collocant, fortissimos extremæ pugnæ seruant, statim ab initio disputationis firmissimum pro mea causa argumentum proponam, idque ab vsu et experientia sumtum. Nonne, cuius rei millena habemus exempla, eam certiorem putamus, quam, cuius singula? Quod si negare non possis, accommodes quæso, ad quæstionem nostram et suppites. Nonne exempla *αὐτοδιδάκτων* vere eruditorum admidum sunt rara? Nonne pro vno *αὐτοδιδασκαλίᾳ*, alumnō bis mille reperis viros doctos, qui e scholis et academiis, antiqua ratione instituti, prouenerunt? Non-

C 2

ne



ne omnium seculorum doctissimum quemque auditio-  
ria scholarum academiarumque frequentasse, ab ore  
magistrorum pependisse, eorum vestigia secutos esse,  
præceptorum suorum discipulös fere inclyta grati ani-  
mi obseruantia profiteri, numquam probro sibi duxi-  
se, fateberis? cum e contrario *avrodidátor* feliciter  
in literis versatorum (qui enim huic vasto mari absque  
gubernatore fere permittentes naufragio pereunt, eo-  
rum nomina æqua et æterna obscuritas contegit) tan-  
ta sit paucitas, vt quemadmodum multitudo *itrogodi-  
dátor* pro exemplis regulam illustrantibus et confir-  
mantibus, ita pauci isti *avrodidátor* pro rarissimis ex-  
ceptionibus sint habendi. Quo igitur pacto fieri pot-  
est, vt rationem, quæ vix ter vel quater singulis secu-  
lis bene succedit, ne dicam commendemus, modo to-  
leremus, præ meliore ea, quam qui sequuntur, fere  
nunquam aberrare a scopo possunt?

Juxta hanc usus et experientia ad sententiam  
meam confirmandam vim, prouocare possem ad omni-  
um eruditorum consensum, contra quod confertissi-  
mum agnem, vt vel unum aliter sentientem, induce-  
res, satis habiturus esses difficultatis. Quotquot enim  
de

de optima tractandarum artium ratione differentes vel audire vel legere memini, eorum, qui istam domestica et umbratilis lucubrationem probans, tirones suis ingenii permitti voluerit vel etiam indulserit modo, scio neminem. Omnes juuenem literarum studiosum optimis tradi magistris et in scholis recte institutis erudi jusserunt. Tamen, ne nimis vage et infinite disputare tibi videar, nominatim doctissimos quosdam viros allegabo, verbis eorum recitatis, quorum auctoritatem, tamquam acerime in his rebus videntium, negligere, nec mihi nec cuiquam fas esse, puto.

Audiamus primo MORHOFIVM c) qui, de πολυμαθείας studio differens, ita pergit: „*Qui πολυμαθείας studio primum se dederunt, si cerebrosores paullum sunt et opiniosi, non facile ad aliorum consilia in descendis artibus se accommodant, sed sibi plerumque semitam sapiunt.* Accidit enim illis, quod plantis sponte provenientibus, quae in sylvestrem naturam abeunt, cum nulla cultura coercentur. *Quo fit, ut, dum aliorum contemnunt*

*judi-*

c) Polyh, litt. Tom. I, L. I, c. I, §. 14, 15.

C 3



judicia avocatoꝝ, e peruicacia erroribus patrocinium querant. Interjectis quibusdam verbis: Hærere plerumque illis avocatoꝝ solet in philosophicis præcipue inanis persuasio, dum veterum dogmata non satis aſſecuti uocatæ dōξæ, pro Junone nubem amplectuntur.,, Audistine, Otfride, Morhofium hos homines vocare cerebroſiores et opiniosos? Animaduertistine inanem persuasionem, quam inhærere hujus peruersæ disciplinæ alumnis vir doctus dicit? I nunc et admoue consobrinum tuum ad hoc speculum. Agnoscat imaginem suam, si vel pusillum dexteritatis seruauerit. Atque tu, niſi me omnia fallunt, diligentius examinando hujus Herculis virtutem, mox intelliges, etiam hunc pro Junone nubem eſſe amplexum.

Satis etiam opportune recordor verba STOLZI d) quaꝝ nuper aliud agenti mihi, quaſi portendetur hæc disputatio, in oculos incurrerunt: Es bestehen aber die Thaten der Gelehrten in conversiren, lehren und

d) Anleitung zur Historie der Gelahrheit. Vorbericht: Von der Historie der Gelahrheit überhaupt  
§. 2, 4, 5. ibique not.

und schreiben: daher ein Studierender nicht blos lesen, sondern auch gelehrter Männer Collegia frequentiren und ihren Umgang suchen muss. Denn, man schreibt nicht alles, was man weiss e). Ein Lehrer sagt manches im Collegio, was er nicht drucken lässt. Zwar, wie es Leute giebt, die sich rühmen, dass sie ohne Lehrmeister, — also giebt es auch andere, welche uns bereden wollen, dass sie ohne Bücher Gelehrte worden. Nun will ich nicht läugnen, dass man wirklich Männer von beyderley Sorte antreffe; (wiewohl es mit den meisten auf eine Prahlerey hinaus laufen mag,) sie sind aber doch so gemeine nicht.

Ja,

e) Hoc testimonio Stollii bonum Ewaldum male putto consulere caussæ suæ. Quod enim dicit: *Man schreibt nicht alles, was man weiss etc.* id longe secus esse nostra ætate, quis ignorat? Hanc itaque sententiam, si ad nostra tempora accommodare velis, ne dicam, ita esse exprimendam: *Man schreibt heut zu Tage mehr als man weiss:* hoc certe inter omnes constat, non modo quæ olim modo dicta, sed etiam quæ olim modo cogitata sint, ea hodie omnia typis vulgari. Vereor igitur, ne Ewaldus hoc argumento risum moueat aduersario suo.



*Fa, ich bin der festen Meynung, daß selbige noch gelehrt seyn würden; wenn sie weder die Bücher noch die Lehrmeijster an die Seite gesetzet hätten, u. s. w. Laudat idem Stollius Roetenbeccii f) et Feuerlini g) de autodidactis tractatus, quos legisse pœnitit neminem h).*

Adjun-

- f) Geo. Paul. Rœtenbeccii dissertatio de Autodidactis. Altorfia. 1704. 4.
- g) Feuerlini Obseruatt. historico-logicæ de Eruditis sine præceptore. Altorf. 1716. 4.
- h) Nec me fortasse pœnituisse: sed in ea, qua hic laboramus, penuria librorum, neutrius introspiciendi, mihi copia fuit: quamobrem, quid sit rei, judicare non possum. Nisi quod Reimannus (Einführung in die Hist. litt. Bd. IV. p. m. 411. not. g.) me quodammodo docet pretium disputationis Rœtenbeccianæ his verbis: *Allein, es ist dieselbe mehr Parænetica als Historica, und geht die Absicht des Herrn Auditoris nicht sowohl dahin, dass er den Leser mit Exemplen vergnügen, als, dass er ihm Regeln geben will, sich vor dergleichen Unternehmungen zu hüten.* Cum quo fere consentit Stollius

Adjungo huic in eodem argumento versatum  
 JOANNEM ANDREAM FABRICIVM i) qui de via ac ratio-  
 ne discendarum literarum differens: „Ohne Unterricht  
 anderer gelehrt werden und also ein Autodidactus seyn wol-  
 len, ist theils unmöglich, — cape tibi hoc, Otfride,  
 unmöglich, inquit Fabricius — theils beschwerlich und  
 weitläufig, theils gefährlich und ungewiss, folglich nicht  
 zu ratben.“ Noui modestiam tuam, Otfride, nec du-  
 bito, fore, vt tantorum virorum auctoritati libenter  
 cedas. Tamen, vt juxta opiniones etiam rationes af-  
 feram, habeo, qui mihi suppeditet, JOANNEM FRAN-  
 CISCVM

Ius (l. s. c.) qui in not. ad §. 5. vtroque li-  
 bro allegato, addit: *Die erste ist schlecht,  
 die letztere aber mit Nutzen zu lesen.* Qui i-  
 gitur vir doctus vtrumque vel alterutrum libel-  
 lum, vel e sua supellecili depromtum com-  
 modare, vel indicare mihi voluerit, vbi adhuc  
 extent, is multam apud me inibit gratiam.

- i) Abriss einer allgemeinen Historie der Gelehr-  
 samkeit, Leipzig. 1752. Bd. I. p. m. 39, seqq.

## D

= = =

CISCVM BVDDEVM k) aptissimas fortissimasque: malo enim a viro tantæ doctrinæ tantique nominis excogitata et partim collecta proponere, quam mihi super re tam gravi philosophandi facultatem arrogare. Hæc ejus sunt verba: *Auditio eo spectat, ut virorum doctorum, vivâ voce alios erudiantium, institutione recte utamur. Quæ quidem institutio, cum plurima præ lectione habet commoda, rebus suis non recte consulunt, qui eam negligunt et inter avocatores numerari cupiunt. Vnde et simul intelligitur, quanta schole et academiæ nobis adserant commoda, et quod earum constitutionem pro maximo numinis reputare debeamus beneficio.*, His statim subjungit vir doctus rationes, quarum prima petitur a philautia s. potius *avocatores* defectu: „Longe rectius ingenium nostrum explorabit, quidue agendum aut omittendum sit, suadet prudens doctor, quam nosmet ipsi, qui unquam fere non in iis, que ad nos spectant, cœcumus.” Altera ab imperitia juuenili: „Deinde et quo incedere debeamus ordine; quid primo, quid secundo loco adgrediendum, cum nesciant, qui sibi ipsi relieti sunt, inculti juuenes, ostendet facemque in hinc

k) Isagoge historico-theologica ad theologiam universam etc. Lips. 1730. Lib. I. c. 3. §. 15.

bisce omnibus præferet diligentia periti magistri.„ Tertia denique a malis, quæ ~~autodidactas~~ maxima et concomitantur et consequuntur: „Accedit, quod, qui sine magistro sapere cupiunt, haud raro vitia quedam imbibant, quæ dedisce difficile admodum illis est, etiam, cum ea detestantur. Solitudini namque et umbræ adfueri in lucem fere non sine puerili quadam trepidatione prodeunt, pertinaces quoque et arrogantes ut plurimum euadunt, dum omnia sibi solis tribuunt, quod alii acceptum ferant, se non habere, sibi persuadentes.„ Quæ præter hæc addit, ea magis pro institutione, quæ viua magistri voce peragitur, quam contra ~~autodidactas~~ pugnant: „Magis, inquit, viua vox animum mouet, quam litera scripta, hinc et attentionem magis excitat altiusque in animum descendit efficitque adeo, ut longe rectius faciliusque, quæ eadem propounderuntur, capiantur.„ Quo pertinet etiam Alexandri Ficheti sententia, quam ibidem laudat Buddeus: *Vno momento temporis in sinum nostrum effundi, quod longissimo plurimorum annorum labore alii coaceruarint atque hoc nullo nostro labore magnaue cum animi nostri voluptate contingere: atque Naudæ: Breuius esse iter atque compendiosus, quibus præceptores aliqui saltem præmonstratores studiorum et comites adjungantur.*

D 2

Quod



Quod si majorem apud te habeant auctoritatem  
 veteres, quam isti recentiores, neque illi me destituerent,  
 si otium mihi competeteret euoluendi, copia le-  
 gendi, vel reminiscientiae satis, ut recitare possem. V-  
 nus tamen et alter occurrit locus, quorum vis et pon-  
 dus plurium collectionem superuacaneam reddere vi-  
 dentur. Tu quidem optime scis, Otfride, cujus sapi-  
 us et venustae sententiae et recta judicia te delectarunt,  
 PLINIVS I), quam serio Nepoti suo commendans au-  
 ditionem Isaei oratoris, hanc anteferendam esse lectioni  
 afferat: ΑΦΙΛΟΝΑΛΔΩ, inquit, illiteratum, iners, ac pene e-  
 riā turpe est, non putare tanti cognitionem, qua nulla  
 est jucundior, nulla pulchrior, nulla denique humanior. Di-  
 ces: habeo hic, quos legam, non minus disertos., — Au-  
 disne verba αυτοδιδάκτων quasi ex ore desumpta? — „Etiam,  
 sed legendi semper occasio est, audiendi non semper. Pre-  
 terea multo magis, ut vulgo dicitur, viua vox afficit. Nam,  
 licet acriorē sint, que legas, altius tamen in animo sedent,  
 que pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis ad-  
 figit., Denique etiam pro me facere videntur AE-

SCHI-

D) Epist. Lib. II. ep. 3.



SCHINIS m) dicta, quorum modo sensum repetam, prout menti inharet: Si quis velit artem coquinari amicallere, vnde petat? Edisciplina boni coqui. At, si artem medendi; a quonam discat, nisi a bono medico? At, si fabrorum artes; a fabris: Si vero bonitatem mentis sapientiamque parare sibi cupiat; quo cognitum eat? nimirum ad bonum sapientemque virum, Quam retra et proctius huius sententiae ad reliquas artes omnemque omnino disciplinam accommodatio! Videlicet, si quis velit fieri bonus grammaticus, orator, philosophus, poeta, mathematicus; vnde petat harum artium cognitionem? A se ipso? — Scilicet qui ne edere quidem et bibere et pedibus vti a se ipso didicerit: Verum a grammatico, oratore, philosopho, poeta, mathematico; quales dicuntur et sunt earum artium

m) Διαλ. πρωτ. περὶ τῆς ἀρετῆς. Φέρε ἔπιτις Βύλοιτο τάυτην τὴν ἀρετὴν γενεθῆαι αἰγαθὸς, οὐ αἰγαθὸς εῖσιν οἱ πο-Φὸι μάγειροι, πόθεν αὐτὸν γένοιτο; δειλονότι, εἰ παρὰ τῶν αἰγαθῶν μαργέισιν μάθοι. Τι δὲ, εἰ Βύλοιτο αἰγαθὸς γίγνεθαι λαργὸς, παρὰ τίαν αὐτὸν γένοιτο αἰγαθὸς λαργὸς; δίλοι δὴ ἐτι παρὰ τῶν αἰγαθῶν τια λα-τεῖν ετο.

D 3



tium magistrī ad docendum in scholis academiisque constituti. HABES igitur, Otfride, et rationes et testes, quibus ductus ~~auerodidāx̄r̄s̄~~ impudentiae et inficiatiæ condemnare, adeoque hoc discendi genus summi prope improbare, non dubitem. Atque hæc sententia eo magis mihi arridet, quo minus nouandi studium, aut singulare ingenium, aut ~~παράδοξον~~ sapit. Præterea hoc habet commodi, vt, tametsi non admirationem, tamen nec risum mihi contrahat.

Hæc tenus ille. Cum vero, quicquid mihi et otii et spatii ad hanc prolusionem relictum est, ista occupauerit prolixa Ewaldi oratio, ex aliorum magis, quam ipsius verbis composita, rogandus mihi nunc est Benevolus Lector, vt, quæ regesserit Otfridus, nec non definitionem caussæ ex arbitrio Theophili, alio tempore a me expectet. Supersunt enim adhuc, quæ dicam, alia, Nimirum scripta sunt hæc a me eo consilio, vt commendarem juuenes nonnullos huc usque hujus Lycei ciues, magistris, parentibus, ciuitati, bonam de se spem facientes, nunc, ante abitum, quem parant, diligentiae gratae animi specimina edituros. Qui enim cum laude nec immaturi a nobis discedunt, ii hoc habent præmii, vt in celebritate Optimorum Ciuium ultima

ultima officia præstent publicaque honorentur gratula-  
tione. Aperient igitur hunc actum

CAROLVS HENRICVS RICHTER jun.  
LÜBENAVIA - LVSATVS,

et

JOANNES CHRISTIANVS FRIDERICVS FÆLLIGEN,  
LVEBENENSIS,

colloquio de Globis aërostaticis nuper a Montgolfierio in  
Franco - Gallia inuentis : quo finito

CHRISTIANVS FRIDERICVS HENRICVS ADAMI,  
LVECAVIENSIS,

Orationi von der Nothwendigkeit, einen guten Ruf mit von  
der Schule zu bringen adnectet Epilogum, quo fautorum  
beneficia grato animo celebrabit. Hunc sequuntur

CHRISTIANVS BERNARDVS RICHTER sen.  
LÜBENAVIA - LVSATVS,

orationem qua comprobandum sibi sumvit: dass die Ver-  
schiedenheit der Stände und Lebensarten in einem Staate  
nützlich sey, et Carmen eucharisticum latinum, et

CARO-

CAROLVS HENRICVS BERNARDVS ERTTEL,  
LIPSIENSIS,

Orationem de Educatione publica priuata preferenda et  
carmen theotiscum grati animi declarandi causa, recitatu-  
ri. His peractis

AVGVSTVS HENRICVS WELLER,  
DAHMENSIS,  
prosperam discedentibus precabitur academiam.

Ad quos audiendos, ut PRAESIDES, PA-  
TRONI, FAVTORES scholæ nostræ frequentes  
conuenire et hunc diem, abituris solemnem, præsen-  
tia sua illustrare velint, omni, qua decet, obseruan-  
tia, rogo.



AB 155635

X 232-1206

ULB Halle  
005 301 335

3




5b





B.I.G.



ΑΥΤΟΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑΣ VINDICIAE.

SPECIMEN PRIMVM.

QVO EDITO

AD

# ORATIONES

QVASDAM

IN LYCEO LVB BENENSI

AUDIENDAS

A. D. XX. APRILIS MDCCLXXXIV. HOR. X.

OMNES

BONARVM LITERARVM FAVTORES

HUMANISSIME INVITAT

CAROLVS TRAVGOTT THIEME

AA. M. LYCEI LVB BENENSI ADHVC RECTOR

NVNC GYMNASII MERSEBURGENSIS RECTOR

DESIGNATVS.

LVB BENAE, EX OFFICINA DRIEMELIA.

